DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXIV. MARTII.

M. PHILIPPO HARDVINO DE SAINCT IACQVES Doctore Medico, Præſide.

Poteſtne parari Medicamentum ἄλιμον ?

988.

CORPORI vitam impertit & ab illo deinceps accipit Anima: ſic vita ſemper producitur vſque ad mortem, dum ſanguis à corde manans, & partibus vniuerſis alimoniam, vimque viuificam afferens, omnes pariter animæ vires inſtaurat. Ideò cuilibet corporis particulæ innata eſt mira quædam & nunquam deſinens ſanguinis rapacitas; ſed quantulâ eius portione fruuntur? quandoquidem pars eius puriſſima ferè omnis diſſipatur, & diſtringirur obeundis functionibus; aquea in ſudorem & halitum digeritur; quin etiam quod alendo conducibilius in ſaniem, ſeu ἰχῶρα ſolueretur, ſi defectum alimenti tam patienter ferret ventriculus ac cæteræ partes; ſed illum dolor admonet tempeſtiuæ comeſtionis, quæ quidem eundem blande afficit, at non ſtatim reficit: ſolus quippe ſanguis naturalem illius, vt & reliquarum partium famem compeſcit; ideo ſeu nullo, ſeu parciore, ſeu prauo alimento vtaris, præ cæteris genua debilitantur & dolent, pedes tument & macreſcunt, quia excarnes, & extremi artuum primi omnium ſanguine deſtituuntur.

FAMEM ſedant edulia, & chylus, eo quod ſanguinis vim in ſe contineant; ſuccum puta aërium, calidum, humidum, quem facilè eliciunt ventriculus, inteſtina, iecur, venæ, arteriæ; neque tamen eam ſanguinei ſucci benignitatem corpori ſuppeditant pari modo edulia quæuis, & quâuis menſurâ. Eius vt copiam pares partium vniuerſitati, non ſatis eſt commodum ſelegiſſe cibum; in eo quoque ſpectanda eſt cum facultate moles. In ſanis hominibus ſolidus eſſe debet, firmæ & valentis materiæ, non parcior, non immodicus, ſed quotidiè demenſus, pro modo virium & laboris; non ſimul & ſemel, ſed prandiô liberali, & cœnâ leviore. Idcirco ne crede homines fœtibus arborum, aut ſolis herbis poſſe ſanos degere, aut longæuos; hæ pro ſanguine pituitam reponunt; illi vero corpori aggerunt inuictum quid, & humanâ naturâ fortius: ſeu tamen oleribus, ſeu fructibus crudis, coctis ventrem oneres; ea minùs nocebunt, quam panis, carnes, oua; quæ omnia ſi plura aut crebra ingeras, ſanguinem plurimum; ſi vltra vires, prauum ſuccum, & morbum pariunt; præſertim Panis.

SI cogeris abſque prandio, & cœnâ ſolidum diem tranſigere, fruſtrà tibi quæretur prohibendæ fami ſubſidium aliud, quàm panis vino madidi, aut ſimilis edulij glutinoſa moles, & quæ minimùm diſſipetur. Iactant nonnulli melle ſaporatam, ſeſamo & papauere ſparſam, & medicatis frugibus offam, quæ hominum multitudinem paſcat; ſed inane commentum. Non opis eſt noſtræ, nec vnquam chymicæ artis fuit liquorem elicere nectaris vllius, qui ſenectam ſummoueret, aut ſuperbam hominibus iniiceret ſpem æternitatis. Sic nulla hactenus medicina inuenta eſt, quæ famelici ventris dolorem leniret, in horas exardeſcentem; quem quidem Opio tantiſper conſopiunt Turcæ ob conſuetudinem, ſed non pauco, quod nobis inſuetis non ſimiliter ſolatio eſſet, ſed exitio. Falluntur qui credunt Tabaci nidore, aut fumo famem fallere Nautas; his potiùs panis nauticus famem arcet: quam etiam laudem adiudicarem gallinarum ouis, vino, & eiuſmodi alimentis, niſi hæc euanida eſſent, & liquidiora, quam vt ſola ventriculi ſuctum inhibeant, & ſanguinis penum inſtaurent: ſic fami caninæ medetur liberaliùs merum non naturali; liquida enim ſiccis citiùs replent, ſed pariter ſecedunt.

IN ſolo cibo fami medicamentum optimum. Ecquæ enim ſpes in medicamento vllo, vt ἄλιμον audiat? in illo ſane quod Proclus Poetarum Antiquiſſimo affingit; ſeu ſingula ex quibus miſcetur, ſeu farraginem omnem excutio, reperio molem plus iuſtò minorem, quæ ventrem impleat ſolo flatu ob cruditatem, & in vacuo oberret: facultatem vero nullam, quæ exſuccum ventriculum oblinat, aut edendi auiditatem depellat. Occultam ſi mihi comminiſceris arcendæ famis qualitatem non ſapies Medicum, cui omnis alendi ratio conſtat. Nec aër nec odor nos nutrit, etſi promptiſſime reuocent vires, quod ſint congeneres ſpiritui, qui ſanguinis feruor eſt, & tenuior halitus, eiuſque vices obeant: at mox diffugiunt. Quidquid nutriturum eſt id in noſtris viſceribus verſari oportet, & ab illis ſubigi: quare oleum & operam perdet quiſquis medicamentum ἄλιμον magno pretio redimet, licet maſſæ illi Ambarum, Aurum, Margaritas, & Corallum adiiciat.

HOMO inter animalia plurimùm habet ſanguinis & caloris, ideo cum ſanus eſt, plurimo indiget cibo, eſtque famis maximè impatiens. Interdùm victus tenuis præcauendis & ſanandis morbis conducit, longa ἀσιτία nunquam: qui per annum vixêre ſine cibo, omnes ægri fuêre, aut ſomnolenti, vt Epimenides in Antro; qui parciore vſi ſunt, cauſarij erant, vt Herodicus, & Cornarius. Sanorum pauci triduò ieiuni ſuperſunt, poſt ſeptiduum nulli. Adeò ægrè in beneualentibus ſui muneris & ſpatij vacuitatem patitur ventriculus, ciborum cupiditate exæſtuans, ſanguinem haurit & fruitur à corpore, viſceráque & artus & ſeipſum depaſcitur. Cui calamitati ſuccurrit ciborum omnium optimè Panis, ex quo ſtatim exprimitur in ore ſuccus homini ſuauiſſimus: ideò eius annonæ inopiâ & Fames vulgi rumoribus inauditur δημοβόρος, & vitæ noſtræ tyrannus φονικώτατος.

Ergo non poteſt parari Medicamentum ἄλιμον ?

429.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL DE LA VIGNE, Pariſinus. A. R. S. H. M.DC.XLIX.